Annus XVI. November 1902. N. 11.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE ORATIONIBUS IN MISSIS DE REQUIE

(Decr. 3920).

Fulgentius Sacerdos regularis, satis aetate provectus, vi antiquae consuetudinis, quam ad praesentem usque fideliter servavit aetatem, implicatus frequenter est circa Orationes in diversis Defunctorum Missis, iure mutato, recitandas. Perfacile quidem illi est in Missis quibuscumque pro diebus privilegiatis, sive cantatis sive lectis, unam Orationem dicere; at non ita similiter in aliis, quae vel pro uno, vel pro pluribus Defunctis tenetur dicere, extra privilegiatos dies. Itaque saepius illi accidit ut pro uno, vel pluribus, Missam de requie agat, quorum nomen ignorat; hinc dubitat an eiusmodi Defuncti habendi sint uti *certo designati*, de quibus in supercitato Decreto, et pro quibus offerre Sacrificium debeat. Dubium succrescit, quod saepe Su-

perior illius intentionem reticet: ut nesciat an pro uno, an pro pluribus, an pro Defunctis in genere applicare Sacrum debeat; unde, an normam in num. II vel III supercitati Decreti sequi, circa Orationes, debeat, anceps haeret. Insuper, quomodo imparem servare numerum Orationum debeat in Missis quotidianis plane non videt: hinc, ne iuniorum Sacerdotum, illius Missam quandoque audientium, censura notetur, iuri antiquo adhaerens, circa Orationes in quibuscumque Defunctorum privatis Missis, uti ante supracitatum Decretum se gerere posse autumat, quod et actu perficit. *Quaeritur:*

1. Quinam sint, seu iuxta antiquam, seu iuxta praesentem disciplinam, dies privilegiati pro Defunctis, in quibus pro iis Celebrans unam solummodo Orationem dicere possit ac debeat?

2. Quibus in casibus et quomodo norma in num. II supercitati Decreti tradita sequenda est circa Orationes, et quando ac quomodo altera applicanda, quae in num. III eiusdem Decreti habetur?

3. Quomodo se gerendum, si nomen Defuncti vel Defunctorum, pro quibus applicandum est Sacrum, nesciatur? Quid agendum, si intentio Superioris, ut in casu, ignoretur? Et qua ratione impar numerus in pluribus Orationibus Missae de requie servari possit ac debeat?

4. Quid Fulgentio suggerendum circa singula in casu exposita?

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. PHILIPPI GIOBBE **Pontif. Semin. Rom. alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 6 Iulii 1902; acta epitome per R.mum Dom.** PAULUM SARAIVA **Apost. Caerem. Magistrum.**

I. Quinam sint, seu iuxta antiquam, seu iuxta praesentem disciplinam, dies privilegiati pro Defunctis, in quibus pro iis Celebrans unam solummodo Orationem dicere possit ac debeat?

Antiqua liturgica disciplina, anterior scilicet generali Decreto **3920** Sacrae Rituum Congregationis, dato die 30 Iunii 1896, sub titulo *Orationum et Sequentiae in Missis Defunctorum,* non erat profecto undequaque determinata. Reducebatur tamen ad sequentem regulam generalem a Rubricis generalibus Missalis traditam *(Tit. 5, n. 3):* "In die Commemorationis omnium Defunctorum et in die Depositionis et in Anniversario Defuncti dicitur una tantum Oratio: et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur; in aliis Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicetur. „ Iis autem diebus ita fiebat tam in Missis lectis quam in cantatis de requie, argumento ab eodem Missali desumpto, quod in prioribus tribus Missis pro Defunctis unicam tantum praescribebat Orationem, sine ullo addito. In Missis porro solemnibus, videlicet cum Sacris Ministris celebratis, aut in cantatis simpliciter, nempe sine Ministrorum assistentia, in omnibus circumstantiis locum habebat unica tantum Oratio (Rubr. gen., *l. cit.:* S. R. C. *16 April. 1853; 12 Aug. 1854: 13 Iul. 1883; 12 Aug. 1884*). Tantum excipiebantur Missae quotidianae, quae in Cathedralibus et Collegiatis cantabantur prima die mensis aut feria secunda hebdomadae, ad normam Rubricarum; in his decan-

tari debebant plures Orationes (S. R. C. *16 April. 1853; 19 Iun. 1875).*

Hodie tamen liturgica disciplina ad num. 1 Decreti **3920** reducitur, sequentis tenoris: " Unam tantum esse dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu, diebus III, VII, XXX et die Anniversaria, necnon quandocumque pro Defunctis Missa *solemniter* celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat; uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis. „ Hoc textu cum alio, quem retulimus, ex veteri Rubrica, comparato, patet, nullimode immutatam antiquam disciplinam quoad substantiam, sed praecisius determinatam et declaratam fuisse, praesertim quoad criterium discretivum, ex quo iudicari valeat de privilegio unicae Orationis in solemnibus Missis de requie aut simpliciter cantatis dicendae. Et re vera, ante Decretum, de quo agimus, a distinctione initium faciendo a communi consensu peritorum recepta inter Missam solemnem et Missam simpliciter cantatam, absque videlicet Ministrorum sacrorum assistentia celebratam, verbum *solemniter* numeri 3 Tituli V eo sensu recipiebatur, quod semper et tantum cum Missa assistentibus sacris Ministris celebraretur unica Oratio foret dicenda. Hac interpretatione posita, tamquam exceptio a Rubrica habita fuit approbatio a S. Rituum Cong.ne data *(16 Aprilis 1853; 12 Aug. 1854; 13 Iul. 1883; 12 April. 1884)* ut diceretur unica tantum Oratio in Missis simpliciter cantatis, in omnibus circumstantiis. Hinc et habita est tamquam limitatio huius facultatis exceptio facta pro Missis quotidianis, quae iuxta Rubricas, cantantur in Cathedralibus et in Collegiatis prima die mensis libera aut feriis II. Haec Rubricae interpretandi ratio fundamentum habebat in exteriori solemnitate, ob quam Missa esse poterat solemnis si cum Ministris

paratis decantabatur, cantata simpliciter si absque eiusmodi Ministris.

Praefata tamen Rubrica, post generale Decretum reformata est (1897), et expressius nunc declaratur, criterium discretivum pro unica Oratione in Missis pro Defunctis dicenda, tam solemnibus quam cantatis, prout et simpliciter lectis, non illud esse amplius debere, quod in solemnitate externa fundamentum habebat, sed illud quod intrinsecam solemnitatem respicit, a *ritu* dependens, talibus Missis respondens, iuxta Rubricas et Decreta. Hinc tenor reformatae Rubricae est hic: " Una tantum Oratio dicenda est in Missis omnibus quae celebrantur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, die et pro die Obitus seu Depositionis, atque etiam in Missis *cantatis* vel lectis, permittente ritu, diebus Tertio, Septimo, Trigesimo et die Anniversario alicuius Defuncti necnon *quandocumque* pro Defunctis Missa *solemniter celebratur, nempe sub ritu, qui duplici respondet,* uti in Officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in Anniversariis late sumptis. „ Ergo, uti optime alias dixerunt *Ephemerides Liturgicae (Ann. XIV, pag 432):* " quaevis Missa de requie, sit cum sacris Ministris, sit tantum cantata sine illis, sit etiam lecta, esse potest solemnis et unicam habere debet Orationem; et potest esse sine solemnitate, et plures per consequens Orationes admittere. Solemnis est, aut censetur, si ritui duplici respondeat: non est solemnis, si respondeat ritui inferiori... Pone, quaeso, ante Missam, quam dicturus vel cantaturus es, sive cum Ministris sacris, sive absque illis, dicendum esse tibi Officium relativum Defunctorum, prout in Rubricis. Quaero: sub quo ritu Officium istud faceres? Certe aut sub ritu duplici, aut sub ritu semiduplici. Si primum, Missa ritui duplici respondet, et unicam habere debet Orationem; si alterum, Missa ritui semiduplici respondet, et plures Orationes habere debet. „ Et notetur, verba illa Rubricae *pro die Obitus* signi-

ficare totum tempus, quo corpus Defuncti insepultum manet, quod tempus pro uno die reputatur (Cfr. S. R. C. Decr. *28 April. 1902, ad XI).* Insuper Anniversaria late sumpta illa sunt, quae pro Fidelium pietate infra Octavam omnium Fidelium Defunctorum locum habent (S. R. C. *2 Dec. 1891; 28 April. 1902, ad IV);* et alia quae pro Defunctis sociis ab aliqua pia societate semel in anno fieri solent (Dec. primo loco cit.). Cum dicitur *post acceptum nuntium de alicuius Obitu,* intelligitur tam *in loco dissito,* uti se alia exprimunt Decreta, quam *in loco obitus,* uti eruitur ex Decreto **3755**, *Missae exequialis pro die Obitus,* ad III, et ex alio recentissimo diei 28 April. 1902, ad X.

Insuper postrema verba Rubricae: *uti in Officio etc.* innuunt, alias quoque dari occasiones Missae solemniter pro Defunctis decantandi, cum privilegio ritus duplicis, praeter dies enumeratos, et similis occasio praebebitur sive ex extraordinariis eventis, v. gr. publici luctus, sive ex voluntate testatoris, qui sub duplici ordinaverit Officium, vel ex viventium voluntate, talem solemnitatem requirente.

Praeter haec rerum adiuncta, omnes Missae de requie, illis inclusis, quae die prima mensis libera et feria II decantantur in Cathedralibus et in Collegiatis, cum non respondeant ritui duplici, plures habere debent Orationes, et huiusmodi Missae sunt illae, quae vocantur *quotidianae.*

II. Quibus in casibus et quomodo norma in num. II supercitati Decreti tradita sequenda est circa Orationes, et quando ac quomodo altera applicanda, quae in num. III eiusdem Decreti habetur?

Ex iis, quae superius ediximus, infertur, praeter dies privilegiatos seu Missas respondentes ritui duplici, omnes alias Missas, sive lectas, sive cantatas, plures Orationes requirere. In veteri disciplina, quando plures dicendae essent Orationes, prima semper esse debebat: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes,* pro Episcopis nempe et Presbyteris; secunda:

Deus, veniae laegitor, poterat impune ab alia subrogari, et tertio loco semper dicenda erat alia pro omnibus Fidelibus defunctis. Hoc etiamsi Defunctus aut Defuncti, pro quibus Missa celebrabatur, fuissent certo designati.

Hodie tamen distinctione opus est, et si Defunctus aut Defuncti pro quibus Missa celebratur sunt certo designati, prima Oratio dicenda est illis respondens, prout habetur in Missalis, iuxta opportunitatem; secunda poterit dici *ad libitum*, et ultima semper dicenda pro omnibus. Si vero Defuncti non sint certo designati, Orationes dicentur prout in Missali prostant in formulario pro Missis quotidianis. Quod per num. II Decreti **3920** iam sancitum fuerat nunc per Rubricam reformatam praecipitur: " N. 4. In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis, sive cum cantu plures sunt dicendae Orationes, quarum prima est pro Defuncto vel Defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis quae infra in Missali habentur, secundà ad libitum, ultima pro omnibus Defunctis. Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, Orationes sunt dicendae, quae pro Missis quotidianis in hoc Missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptae. „ Sed cum plures quam tres dici possint Orationes, sequitur Rubrica, post Decretum citatum: " Quod si in iisdem quotidianis Missis plures Orationes celebranti placuerit recitare, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus, id fieri potest tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et Orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato. „

III. *a)* Quomodo se gerendum, si nomen Defuncti vel Defunctorum, pro quibus applicandum est Sacrum, nesciatur?

Quum ignoratur nomen, sed determinata satis est persona, et tunc Oratio huic appropriata assumenda est, et quidem primo loco ponenda, si plures sunt dicendae, nomen reticendo etiamsi in Oratione adsit littera N. Hinc Oratio,

unica, vel prima, iuxta Rubricas, erit vel pro Sacerdote, vel pro uno Defuncto, vel pro una Defuncta, vel pro pluribus, de Anniversario, de die Tertia etc., iuxta opportunitatem, namque est Defunctus (vel Defuncti) satis *certo designatus.*

b) Quid agendum, si intentio Superioris ignoretur, ut Celebrans nesciat an pro uno, an pro pluribus, an pro Defunctis in genere applicare Sacrum debeat?

In casu exposito, Orationes dicentur prout in Missali in Missis quotidianis. Quid tamen si sciatur Missam esse v. gr. pro Anniversario, sed ignoretur an sit pro una an pro pluribus personis, pro viro an pro muliere? Unica Oratio in casu est sane dicenda ex Rubricis et Decretis; hinc consultius assumetur Oratio *pro pluribus Defunctis,* securius enim sic agetur, namque etsi pro uno foret Sacrificium celebrandum, suffragium non minueretur, orando pro pluribus, quemadmodum nihil obstat, quod Preces cunctae, quae ad Missam pertinent, exceptis Orationibus, nunquam in singulari dicantur, etsi pro uno tantum offerendum sit Sacrificium.

c) Et qua ratione impar numerus in pluribus Orationibus Missae de requie servari possit ac debeat?

Iuxta Decretum pluries citatum et Rubricam reformatam, *permittitur* additio aliarum Orationum in *Missis quotidianis* tantum, et quidem in *lectis,* non autem cantatis et solemnibus; et cum Rubrica, ad quam nostra amandat, admittat quinque Orationes, et *possunt etiam dici septem ad libitum (Tit. IX, De Orationibus),* ita in casu Missae quotidianae de requie item quinque aut septem dici possunt Orationes. Insuper animadvertendum: si mutetur ratione Sacrificii offerendi, prima Oratio, mutari etiam valet secunda *(Rub. reform. n. 4)*; si neutra, additio bina esset facienda, etiam si unam libuerit tantum adiicere, ratione imparis numeri servandi, et quidem penultimo loco (*l. cit.* in fine). Hodie retinenda est praeceptiva Rubrica de hoc

numero impari, servando, cum verbis decretivis sit expressa, et ceterum expunctum sit Decretum diei 2 Septemb. 1741, ad 4, in quo habebatur, *curandum* esse ut Orationes sint numero impares.

Hoc cautum est, ut Missis de requie quotidianis tribueretur quod concesserunt Rubricae Missis votivis, quibus illae quodammodo aequiparantur. Mystica autem ratio imparis, numeri servandi haec est, ex Auctorum sententia: Per numerum imparem, qui in aequas partes secari non potest, exprimitur unitas et coniunctio, quam Ecclesia vehementer desiderat (Bened. XIV, *De Sacrif. Miss. Sect. I, n. 110).* Una autem dicitur: 1° Ob sacramentum unitatis; 2° Ad solemnitatis significationem; 3° Ut fideles, ad plura non distracti, maiori attentione et devotione afficiantur ad orandum pro Defuncto aut Defunctis. Tres dicuntur in honorem SS.mae Trinitatis, in memoriam Christi, qui ter oravit in horto et tertia die resurrexit; ad imitationem Angelorum, qui Deum laudantes, ter repetunt Sanctus. Quinque dicuntur in venerationem quinque Christi vulnerum; et septem ob septiformem gratiam Spiritus Sancti, septem petitiones orationis Dominicae, etc. (*Micrologus, Cap. 4*). Ecclesia igitur illum numerum toties in Sacra Scriptura consecratum sine ulla superstitionis suspicione rite assumpsit (Cfr. De Herdt, *S. Liturg. Prax., T. 1, n. 82).*

IV. Quid Fulgentio suggerendum circa singula in casu exposita?

1° Dubitat Fulgentius, an Defunctus vel Defuncti, de quibus nomen ignorat, habendi sint ut *certo designati;* respondendum, ex superius dictis, tales profecto esse, ac proinde ius habere ad primam Orationem propriam.

2° Fulgentius nescit interdum, an pro uno, an pro pluribus, an pro Defunctis in genere applicare Sacrum debeat; suggerendum, ut in casu Missam legat ut in formulario Missae quotidianae.

3° Quomodo imparem servare numerum Orationum debeat plane non videt; reponendum est, quod si velit aliquam aliam recitare Orationem, ut, in primo casu, vel substituat secundam tantum, vel duas alias, aut etiam quatuor post illam adiiciat, pro libito. In altero casu, duas aut quatuor interponat, inter secundam et tertiam.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI.

(Continuatio, v. n. 10, p. 635)

(411)..... *aut denique, ceteris paribus, de magis proprio prae minus proprio.* Alibi docuimus quae festa dicantur *propria* vel *particularia (Nota* 349 § 8). Hic addimus quae ad rem optime scribit Guyetus *(l. 1, c. 1, q. 4):* " Quot et quibus titulis Festum aliquod censeatur proprium? Sunt ii tituli omnes quotquot colligi potuerunt, numero tredecim, ad quos vix contingat ut non facile revocentur; quicumque a nobis omissi, ab aliis forte suggeri poterunt.

" 1. Dedicatio Ecclesiae. 2. Titulus Ecclesiae. 3. Patronus loci. 4. Inventio, Translatio, Ordinatio, aut alia sanctorum patronorum, praeter natalem seu depositionem, solemnitas, quam commodo vocabulo secundariam appellamus. 5. Reliquiae. 6. Sancti locorum naturales, seu indigenae, seu advenae. 7. Ecclesiarum, aut sanctorum inter se societas, affinitas, cognatio, vicinitas, etc. 8. Votum seu devotio publica. 9. Fundatio seu devotio particularium. 10. Consuetudo. 11. Sancti Regularium Institutores, Restauratores, Professores. 12. Patronus aut Titulus Sodalitatis seu Confraternitatis. 13. Patronus aut titulus Cappellae vel Altaris. „

Quoad dedicationem Ecclesiae, distinguendum est inter dedicationem cathedralis et ecclesiae particularis; haec evidenter *magis propria* est quam illa, licet ambo propriae sint, relatione habita ad Festa Generalis Ecclesiae. Hinc qui addictus est alicui ecclesiae parochiali consecratae, huius dedicationis anniversarium celebrare debet, licet eadem die occurrat dedicatio cathedralis, ut patet, quia haec est minus propria in casu *(Vide not. 3 huius Expositionis).*

Idem dicatur de Titulari Ecclesiae propriae et de loci Patrono, in conflictu cum Titulari Cathedralis aut cum dioecesis, vel regionis vel nationis Patrono, quod similiter intelligendum est de Festis secundariis (Inventio, Translatio etc.), de Festis ratione reliquiae (de quibus late disseruimus in appendice ad expositionem Tituli I), ratione ortus alicuius Sancti, vel incolatus vel obitus, ac etiam ratione consuetudinis (de qua vide notam 8).

Haec omnia Festa ex natura sua localia sunt et particularia seu propria, sicut sunt propria pro Regularibus festa Fundatoris, etc. Omnis ratio suadet, haec Festa, quia propius tangunt loci, vel ecclesiae, vel instituti religiosi personas, ceteris paribus, praeferenda esse Festis ecclesiae generalis, quae minori et laxiori vinculo illis devinciuntur. Notandum tamen est, quod non semper Festum proprium et particulare praevalere debet Festo universali. Rubrica *(Tit. X, n. 1)*, quam sic perbelle contrahit Tabella occurrentiae, dicit: *Duplex quodcumque etiam Patroni vel Tituli Ecclesiae, vel Dedicatio occurrens in Vigilia Nativitatis* etc. etc. *transfertur.* Ergo Festa *propria,* licet solemnissima, ut loci Patronus, Titulus et Dedicatio Ecclesiae, cedunt Festis, ac etiam feriis maioribus, generalis Ecclesiae. Ratio est, quia ut alibi iam diximus, huiusmodi generalia Festa tali tantaque religione, ex Ecclesiae institutione et ex natura ipsorum, ubique celebrari debent, ut dedeceat aliquibus in locis diversum colere obiectum, diebus illis quibus universa Christi Ecclesia

quasi uno ore et corde, tales praecipuas solemnitates concelebrat.

Quam ob rem, licet primo obtutu haec Rubrica Tit. X, n. 1, contraria videatur huic quam exponimus, nihilominus ex eodem principio utraque descendit. Festa *universalia,* duplicia primae classis, primaria quibuscumque Festis *localibus* iure praeferuntur, quia proxime tangunt omnes Christifideles et sunt *propria* totius Ecclesiae, atque ubicumque solemnissima; Festa vero *localia,* omnibus aliis *universalibus* praeferuntur, quia, uti diximus, maiori vinculo locis et personis devinciuntur. Hinc, inter officia propria, ea scilicet quae in calendario universali non inscribuntur, quae magis sunt propria aliis antecellunt.

Notandum tamen est, quod in nonnullis calendariis dioecesanis vel Regularium, hodie praesertim, multa inscribuntur Festa, quae revera dici *propria* non possunt, nisi quodam lato sensu. Praeter enim Festa vere propria, nempe Dedicationem et Titulum ecclesiae, loci Patronum, sanctos concives aut illos qui ratione reliquiae excoluntur, alia plurima a S. R. C. obtenta sunt, precipue ut pauciores sint in calendario dies vacui.

Ex his, ex. gr., sunt officia Mysteriorum passionis D. N. I. C., nonnulla Festa B. M. V. uti Desponsatio, Maternitas, Puritas, Patrocinium, Cor purissimum, Festa Ss. Gabrielis et Raphaelis Archang. necnon Ss. Ioannis Nepom., Isidori Agr., Ferdinandi Regis, Emigdii, Rosae Viterbiensis, Ursulae et Sociarum, etc. sicut et Festa singulorum Pontificum romanorum (1), extra Romam. Num huiusmodi Festa dicenda sunt *propria?*

(1) Quamquam Romani Pontifices propius attingant totam Christi Ecclesiam, ac proinde eorum Festa, ubique locorum sint propria, sicut sunt Festa Ss. Episcoporum in eorum Dioecesibus, nihilominus, eorum officia adhuc considerantur tantum propria ecclesiae romanae. Optandum tamen nobis videtur ut opportune omnes Ss. Pontifi-

Si haec vox *proprium* sumenda sit uti contraria voci *universale,* certo certius praedicta Festa erunt *propria* dicenda, sed cum De Herdt *(p. 4, n. 268, 3 Reg.)* observandum est, non omnia Festa, quae particularia dicuntur, idcirco propria esse.

Iuxta enim Cavalieri *(c. 26, dec. 8, III)* illi vere sunt sancti proprii " qui vel ortu, vel occubitu, insigni commemoratione, praecipuo aliquo munere, advectione suarum reliquiarum, invectione fidei, eiusdem promotione et dilatatione, signis aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres, ... habenturque prae ceteris ut particulares patroni, in necessitatibus a populis assolent invocari, particularemque ad respectiva loca quamdam habent attinentiam ac cultum, connaturalem solemnitatem sibi vindicant. „

Diversa tamen ratio, ait denuo De Herdt *(ibid.)* est

ces, etsi plures eadem die fieri deberent, per totam Ecclesiam celebrentur.

Anno 1879 clerus Montisregalis in Subalpinis, in memoriam sui praeclari Episcopi Placidi Pozzi qui tunc synodum coegerat, supplicavit et obtinuit, ut Festum Ss. Placidi et Soc. in posterum ritu duplici celebrare posset. Anno 1893, Regiensis Episcopus Vincentius Manicardi, Proprii dioecesani approbationem exquirens, in eo inseruit Festum S. Domnini Mart. eo quod Fidentinam Ecclesiam antea rexerat. Item Ven. Antonius Maria Gianelli, qui anno 1840 interfuit solemnitati canonizationis S. Alphonsi et aliorum, horum omnium Festum in sua dioecesi Bobiensi instituit. Bononiae, perpetuum calendarium paucis ab hinc annis adprobatum fuit, tot officiis redundans, ut quatuor tantum dies liberi habeantur in toto anno, mense Aprili.

Quot incommoda et inconvenientia afferantur, ex horum officiorum nimia multiplicitate, nemo est qui non videat. Non satis ergo laudari posse credimus S. R. C. Decretum d. d. 13 Iulii 1896 n. 3926, quo normae nonnullae traduntur, pro concessione novorum officiorum, quae difficile obtinebuntur in posterum, nisi rationes concludentes afferantur, quae bene comprobent nova officia petita, revera *propria* esse illius Ecclesiae pro qua requiruntur; atque recepto consensu Episcopi et Capituli Cathedralis.

quoad officia, quae alicubi ex speciali recitantur indulto, sicut illa quae supra memoravimus, *quaeque idcirco aliis officiis eiusdem ritus et dignitatis praeferri nequeunt.* Hoc probatur ex S. R. C. Decreto, d. d. 31 Martii 1821, et a Pio VII adprobato die 3 Aprilis, sub n. 4581 ad 3, antiquae collectionis, quod hic referri debet, quia adhuc illud vim habere iure credimus cum nulli novo Decreto contradicat.

Ad quaesitum enim 3: " An Officia specialiter concessa Patribus Congr. SS. Redemptoris consideranda sint tamquam propria Ordinis, ac propterea in paritate ritus sint praeferenda in occurrentia Sanctis, qui sunt in Calendario dioecesano, iuxta quod unaquaeque domus tenetur recitare horas canonicas? „ S. R. C. respondit: *Negative.*

Et cl. Gardellinius in nota ad hoc Decretum haec habet: " Quoniam alumni Congr. SS. Redemptoris Calendario dioecesano uti debent, et officia peculiariter ipsis concessa, vere propria Congregationis non sunt, quamvis improprie talia dicantur ab iis, qui eodem Calendario utuntur, ideo ad propositum dubium S. R. C. respondit: *Negative,* quod idem est ac si dixisset, in occurrentia, caeteris paribus, praeferentiam dandam esse Sanctis, qui in Calendario dioecesano notantur. „

Clarius vero id quoque probatur ab alio S. R. C. Decreto 12 Novembris 1831 n. 2682 novae collectionis ad 37, in quo edicitur, " officium proprium alicuius dioecesis si extendatur ad aliam non debet praeferri officio Ecclesiae universalis. „

Iure ergo distinguenda sunt Festa *propria* a Festis particularibus, quae licet sint *de praecepto,* utpote acceptata ab Episcopo ab eoque dioecesi suae imposita, nihilominus rationem habent officiorum quasi *ad libitum.* Hinc prius agenda sunt Festa vere praeceptiva generalis Ecclesiae et postea illa quae, quasi facultativa, sunt particularia sed non *propria,* uti supra explicavimus.

Neque valet opponi nuperrimum S. R. C. Decretum in *Urgellen.* d. d. 24 Martii 1902, in quo ad quaesitum: *Num*

S. Isidori agricolae Festum, die 15 Maii celebrandum sit, translato in diem primam liberam S. Ioannis B. de La Salle, an vero e contra? Respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* (1).

Quia evidenter Decretum hoc valet praecipue pro Hispania, ubi S. Isidori Festum est *proprium*. Extra Hispaniam autem, si hoc Decretum conferatur cum alio Decreto supra citato d. d. 31 Martii 1821, dicendum est S. Ioannem B. de la Salle, in die quasi-natalitia (obiit enim die 7 Aprilis), quia Festum *generale*, praeferri debere S. Isidoro, qui pariter est in die quasi-natalitia, quia hoc est Festum *particulare*, sed non *proprium*.

Decretum S. R. C. in *Wilnen.* d. d. 22 Aprilis 1741 n. 4110 antiquae collectionis, quod in nova reperitur sub. 2360, expunctis tamen sex ex septem dubiis, haec habebat ad dub. 6, nunc expunctum: " In occurrentia Festorum eiusdem ritus, et alias quomodocumque parium talis ordo servetur, ut locum habeat: 1. Officium Ecclesiae particularis; 2. Ordinis seu Religionis; 3. Dioecesis; 4. Nationis; 5 Ecclesiae Universalis. „ Subintellige tamen dummodo sint vere *propria*.

Regula hic tradita valet, uti patet, pro occurrentia perpetua, pro translatione accidentali vero alicuius anni, ad qualitatem huiusmodi *proprietatis* non est attendendum. Attenditur autem tantummodo: 1. ad ritum maiorem; 2 ad qualitatem primarii; 3. ad dignitatem personalem; et ad nihil aliud, ut infra videbitur.

Regulae autem sequendae, quando novum aliquod officium inducendum est in Calendario, traduntur a S. R. Congregatione per sequens, quod hic exponimus:

(1) Vide in *Ephem. Liturg*, N. VIII Augusti 1902, pag. 489, citatum decretum et doctam expositionem eius, quam edidit Rev. P. Paschalis a Perusia liturgicus vir clarissimus, ex amicis nostris carissimis.

DECRETUM GENERALE (3811).

SUPER DUOBUS FESTIS VEL OFFICIIS EADEM DIE OCCURRENTIBUS (*a*).

Cum saepe accidat, ut dies, qua S. Sedis aliquod novum Festum statuat celebrandum in calendariis particularibus, sit alio Festo impedita, nec tamen clare constet (*b*) quodnam ex iis sit peragendum; S. R. C. praesenti generali Decreto declarat et statuit, sequentes imposterum ab omnibus Calendariorum Ordinatoribus tenendas esse normas (*c*):

I. Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum (*d*); ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia (*e*), *ceteris, paribus*, illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur, iuxta Rubricas (*f*). Ceteris vero *non paribus*, si alterum prae altero sit potioris ritus, praeferatur illud quod ritu nobiliori gaudet (*g*). In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic praeferatur, iuxta ordinem dignitatis in Rubricis praescriptum tit. X, n. 1 et XI, n. 2 (*h*). Si denique utrumque fuerit eiusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio praeferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic praeferatur (*i*). Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem sed proprium, vel primarium vel potioris dignitatis,

alteri praeferatur, quod die prima libera reponetur iuxta Rubricas (*l*).

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi natalitia, alius in die assignata, seu non-propria, aut tamquam propria; ille ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, praeferatur huic, qui prima die libera reponendus erit iuxta Rubricas (*m*).

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii vel dignitate posthabitis (*n*). Cum nihilominus perpetuum alicuius Ecclesiae Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo, ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis ac prioritas translationis (*o*).

V. Quemadmodum autem pro die natalitia Sanctorum illa est intelligenda qua iidem Sancti aeternam ingrendiuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes elegit extra natalitiam ad liturgica festa recolenda (*p*); ita S. R. C. declarat illam intelligendam esse pro die assignata quae prima post propriam libera fixe in Calendario iuxta notas occurrentiae leges ab Ordinario inscribitur (*q*), sicuti pro translata, illam, quae pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Novembris, 1893.

a) Quam opportunum imo necessarium fuerit hoc Decretum, nemo est, qui hisce temporibus studiis liturgicis vacavit, et non videat. Anno 1889, quando novum Festum Ss. VII Fundatorum, die 11 Februarii celebrandum, institutum est, multa dubia oborta sunt in locis ubi ea die aliud officium iam agebatur, quae dubia certo certius orta non essent, si semper unus et idem fuisset sensus verborum. Nos ipsi in Ephemeridibus Liturgicis (*Anno 1890, pag. 385*) de hoc dissertationem confecimus, et definitionem verborum quae usuveniunt in legibus occurrentiae dedimus; ac nunc plurime gaudemus has definitiones suas fecisse S. R. C. In hoc enim Decreto clare distinguitur inter *Festum* et *officium*, inter *translationem* et *repositionem*, inter dies *natalitiam* et *quasi-natalitiam*, quod ultimum vocabulum nos in hac expositione primi usi sumus, etc.

b) *Nec tamen clare constet...* Licet hoc Decretum anno 1893 emanatum sit, nihilominus nonnulli Calendariorum Ordinatores ancipites erant quid agendum de Festis S. Antonii Zaccariae, S. Bedae, et S. Ioannis B. de la Salle nuperrime in Calendario universali inducta, quod si hoc decretum ante oculos fuisset, nullum Dubium amplius oriri potuisset.

c) *Statuit sequentes in posterum tenendas esse normas.* Haec verba sunt vere decretoria, ac proinde vim legis habent omnino, et *ab omnibus Calendariorum Ordinatoribus*, ritus romani, tam cleri secularis quam regularis, sequendae sunt.

d) *Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum.* Uti patet *antiquum* dicitur Festum, iam in Calendario universali vel particulari inscriptum; *novum* illud quod a Romano Pontifice ad universam Ecclesiam extenditur, aut ad particularem nunc conceditur.

(Continuabitur)

Doct. Petrus Piacenza.

INSTRUCTIO CLEMENTINA

PRO ORATIONE QUADRAGINTA HORARUM

LATINE REDDITA

NOVISSIMIS APOST. SEDIS DECRETIS AUCTA

BREVIQUE COMMENTARIO ILLUSTRATA

(*Continuatio.* V. num. 10, pag. 645-651).

Quoad S. Communionis distributionem infra Missam celebratam ad Altare Expositionis SS.mi Sacramenti, haec statuere S. R. Cong.nis Decreta: In una *Societatis Iesu,* d. 11 Maii 1878, n. **3448**-*5728,* ad I: " Quid sentiendum de usu... distribuendi sacram Communionem in iisdem (coram SS.mo Sacramento publice exposito) Missis, et extra Missas in eodem (unico in Ecclesia) Altari?... Ad I... Negative. „ — In *Gandaven.*, d. 18 Maii 1878, n. **3449**-*5729,* ad III: " Si in Altari maiori adest expositio perpetua SS.mi Sacramenti,... requirirturne ut in alio Altari laterali ponatur tabernaculum, in quo extet SS.ma Eucharistia pro Communione fidelibus distribuenda?... Ad III. " Affirmative. „ — In *Parisien.*, d. 8 Febr. 1879, n. **3482**-*5767:* " Anne in Missis, quae ante SS.mum Sacramentum publicae venerationi expositum celebrantur... liceat fideles ad sacram Synaxim admittere extra Missam; et an saltem, attenta consuetudine, maxime pietati favente, idipsum tolerari possit?... Negative. „ — In *Baionen.*, d. 13 Septemb. 1879, n. **3505**-*5794,* ad III: " Anne Parochus, resistendo mandatis et ordinationi Magistri Caeremoniarum et celebrando in Altari expositionis et ibi distribuendo Communionem, male egerit et violaverit auctoritatem legitimam et regulas Ecclesiae?...Ad III. Affirmative. „

— In *Papien.*, d. 23 Novemb. 1880, n. **3525**-*5819*, ad IV: " Quum Sacra Rituum Congregatio cuidam postulato ab eodem R.mo Episcopo oratore exhibito respondisset: Decreta vetant in Altari, in quo SS.mum Sacramentum publicae venerationi expositum manet pro Oratione Quadraginta Horarum, Eucharisticam Communionem, huiusce Expositionis tempore, fidelibus distribuere, quae in alio prorsus Altari servanda est; quaeritur: An huiusmodi responsum servandum etiam sit pro ruralibus parochialibus Ecclesiis, in quibus licet secundarium adest Altare, nimis incommodum et indecens esset, ob Ecclesiarum ipsarum angustiam, inibi Sacram Synaxim administrare?... Ad IV: *Affirmative;* et ad mentem. „ Mens est, ut in hisce Ecclesiis Altari laterali apponatur parvum Ciborium amovibile; et, si opus sit, loco transennae, vulgo *balaustra,* scamna circumponantur. „ — In una *Montis Regalis,* d. 10 Maii 1890, n. **3728**, ad II, " Num tolerari possit consuetudo exponendi SS.mum Sacramentum, et coram eo Missam celebrandi (occasione Novemdialis) in qua fit post Evangelium praedicatio Verbi Dei, et plerumque de Sanctis; et in qua populus frequens accedit ad Sacram Synaxim?... Ad II. Affirmative; apposito tamen velamine ante Sanctissimam Eucharistiam, dum habetur concio. „

Hoc postremo Decreto videretur S. Cong.tio contradicere prioribus, quibus vidimus sanxisse perquam rigorose, ne S. Communio in Altari Expositionis distribuatur; namque cum in dubio de pluribus consuetudinibus inquiratur, an tolerari queant, scilicet: 1° Missam celebrandi coram sanctissimo Sacramento exposito; 2° Praedicationis habendae in eadem Missa; 3° Communionis in dicta Missa distribuendae; unica responsione reposuit: *Affirmative.* Sed tuto retinere debemus, hanc non fuisse mentem S. Cong.nis; et sane: 1° Potuit S. Cong.tio supponere casum necessitatis, quod nempe unicum extet Altare in Ecclesia; 2° Obiectum principale petitionis est Missa celebranda coram SS.mo, et circa

illud versatur responsio; et notetur, S. Cong.nem aliquid volentem declarare circa concionem habendam, hoc fecisse, at nihil dicere volentem circa accessum fidelium ad S. Synaxim, de quo satis alias provisum, nihil respondisse.

f) Tandem ad mentem revocetur sequens recentissimum Decretum *Congregationis Presbyterorum SS.mi Sacramenti,* d. 30 Novembris 1895, n. **3875**, ad IV: " Sacerdos celebrans coram SS.mo Sacramento patenter exposito, dum in Evangelio dicit: *Et verbum caro factum est,* genuflectit aliquantulum versus SS.mum Sacramentum. Quaeritur: An debeat versus idem Venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen Iesu? Ad IV. Affirmative. "

§ XIII. Nel giorno medio, oltre la Messa conventuale, si dovrà cantare dopo Nona la Messa votiva pro pace, *o altra che verrà comandata da Nostro Signore; secondochè sarà espresso nella lista delle Quarant'ore, con la medesima eccezione dei giorni suddetti; e con la medesima regola circa l'Orazione.*

§ XIII. Die autem medio (37), praeter Missam conventualem, post Nonam, cantari debet votiva Missa *pro pace,* vel alia a SS.mo D. N. praescripta, prout in elencho XL Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos, et eadem regula quoad Orationem (38).

(37) Contingit aliquando, ut sive ob gyrum Expositionis in Ecclesiis certa lege moderandum, eumdemque non abrumpendum, sive ob aliam peculiarem causam, Expositio ad quatuor dies protrahatur, tunc Romae Missa votiva, de qua infra, canitur altero die, et vacat dies tertius. An cani valeat die tertio potius quam altero, non videmus ambigi debere, semper namque agitur de uno ex diebus mediis. Quid tamen si placeret Missam votivam cantari utroque die medio? Neque sic contra legem autumamus operatum iri; uterque

enim est dies medius, ut diximus, inter Expositionem et Repositionem, et lex est, ut die medio Missa canatur votiva, quae praescribitur. Nihil tamen fiat arbitrio privatorum, sed ex beneplacito Episcopi.

(38) Conferantur quae dicta fuerunt numm. (33), (34), (35), (36), quae adamussim conveniunt et huic paragrapho.

Ulterius notetur: 1° Nunc Romae a SS. D. N. praecipi Missam *pro pace* (aliquando praecepta est *contra Paganos*, Decr. **2058**); sed nihil impedire, quominus extra Episcopi aliam, sed semper iuxta spiritum institutionis Orationis XL Horarum, praecipiant; quod iam decrevit S. R. Congregatio, die 9 Maii 1857, in *Cadurcen.*, n. **3049**-*5241*, ad IV: " Missam Votivam *Pro Pace* suppleri posse per aliam Missam Votivam, ex iis quae continentur in Missali Romano, arbitrio Episcopi „; 2° In casu impedimenti, quoad Missam votivam celebrandam, commemorationem istius unicam, et non aliam quoque de SS.mo Sacramento, esse Missae diei addendam, sic declarante Decreto **3574**, in *Marianopolitana*, iam alias citato, ad V, ad 4^{am} quaestionem: " Si pari modo secunda dies fuerit impedita, anne adiiciendae sint tum Oratio Missae *Pro pace*, seu alterius legitime assignatae, tum collecta SS.mi Sacramenti? Et quatenus affirmative, quisnam locus utrique Orationi sit assignandus? „ Resp.: " In diebus tamen exceptis ut supra, Missa canenda erit diei currentis cum Oratione *Pro pace* sub unica conclusione. „ Ratio autem est, ait Cavalerius, quia " minus decens est collectas plurimas uni Orationi iungere in Missis solemnibus „; excipitur casus Missae diei decantandae in Dominica, cuius commemoratio locum quidem habebit, sed sub conclusione propria, post Orationes, diei et votivae, coniunctas, uti cautum est eodem Decreto; 3° In Missa votiva esse addendam commemorationem SS.mi Sacramenti, sub unica conclusione, eo quod, licet § XVII dicatur: " nelle altre Messe *private* correnti, si aggiungerà, dopo le prescritte

dalla Rubrica, l'Orazione del SS.mo Sacramento „, ut videatur excludi *solemnis,* tamen etiam in hac, tum ex Decreto mox citato, tum ex tabella, quae iussu Summi Pontificis, bis in anno, pro Urbe publicatur (colla sola Orazione, hic dicitur, del SS.mo Sacramento *sub unica conclusione*), praecipitur addenda; 4° Missa *pro pace,* seu alia quae celebranda sit in paramentis violaceis, carebit *Hymno angelico* et *Symbolo,* quod ultimum addetur, si die dominico Missa celebretur, sic disponente Rubrica Missalis (ante Missas votivas; *Tit. VIII, n. 4;* et *Tit. XI,* in fine).

(Continuabitur).

I. B. M. c. M.

AD QUAEDAM DUBIA LITURGICA

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Sartinara in Insubria.* 1. Quando habentur II^ae^ Vesperae integrae de octava privilegiata cum commemoratione duorum *duplicium,* quae ad ritum simplicem sunt redacta, unum occurrens et aliud sequens, prius fit commemoratio sequentis, et postea praecedentis. Ratio est quia in S. R. C. Decreto 13 Decembris 1779, n. 4395, ad 3, antiquae collectionis, dicitur *ut prius fiat commemoratio, de quo secluso impedimento, die illa celebraretur... aut capitulum aut dimidiae,* ex quo optime intelligitur recentius Decretum generale 5 Februarii 1895, n. 3843. Atqui secluso impedimento occurrentis octavae privilegiatae, duplex *sequens* haberet capitulum, ergo illi competit commemoratio ante *praecedens.* Quod idem est ac dicere, prius agenda est comm. illius duplicis, vel semiduplicis, quod est in I Vesperis, dein illius, quod est in II.

2. In Missis votivis ex Rubricis dicendae sunt saltem tres orationes, nempe: 1. De Missa ipsa; 2. De Officio recitato; 3. Quae esset secunda iuxta Rubricas Miss. vot. Quod si occurrant aliae commemorationes, puta octavae, vel simplicis, hae erunt dicendae loco orationum de tempore. Ex. gr. die 21 Octobris in Ecclesia F. in Missa votiva dicendae sunt septem orationes, nempe: 1. De Missa ipsa votiva; 2. De S. Hedwige (ass. e d. 17); 3. De octava S. Patroni; 4. De S. Hilarione; 5. De Ss. Ursula et Soc.; 6. Collecta pro Papa; 7. Coll. Ad repellendas tempestates.

3. Procul dubio Regulares tenentur ad recitandas collectas ab Ordinario imperatas, etiam in suis cappellis privatis Ratio est quia ex S. R. C. Decreto generali diei 3 Aprilis 1821, n. 2613, ad 1, collectae huiusmodi recitandae sunt non solum in Ecclesiis Regularium, sed etiam in *Ecclesiis exemptis;* ergo, licet cappellae privatae accipi velint pro locis exemptis, subiacent semper legibus dioecesanis quoad collectas imperatas, ad quas tenentur et Sacerdotes extranei.

4. Occurrente eadem die Festo aliquo Ordinis sub ritu duplicis I classis, et Festo localis Patroni sub eodem ritu et cum feriatione, huius officium persolvendum est, translato officio Ordinis. Hoc autem duabus ex causis: 1. Quia in Decreto generali 4 Februarii 1896, n. 3881, dicitur: licet Dedicatio Ecclesiae sit Festum Domini, nihilominus *Patroni Festum ratione feriationis praefertur.* 2. Quia duplicia I classis dividuntur in tres ordines: *a)* Quae sub tali ritu ab universa Ecclesia recoluntur, et sunt primaria; *b)* Festa localia solemniora, nempe loci Patronus, Dedicatio et Titulus Ecclesiae propriae; *c)* Cetera duplicia I classis quae alicubi celebrantur (vide *Ephem. Liturg.*, vol. II, pag. 615). Quare, cum occurrentia in casu sit perpetua, Sanctus Ordinis ritu duplici I classis gaudens, reponi debet in prima die libera, ibique celebrandum cum sua octava.

II. *Pro Utino.* Nisi constet de speciali indulto, Festa mobilia localia in casu impedimenti omittuntur; cum vero dioecesi Utinensi decreto 18 Iunii 1900, S. R. C. concesserit huiusmodi translationem, *in primam sequentem diem iuxta Rubricas,* liquido profluit quod semper transferenda sunt, tam in occurrentiis accidentalibus, quam in perpetuis. Quod decretum, cum a R.mo Archiepiscopo publicatum sit, vim legis habet pro omnibus Utinensibus Ecclesiis.

III. *Pro Parma.* Si revera consuetudo celebrandi Festum S. Genesii M. die 25 Augusti, cum concursu populi, sit probata et immemorabilis, licet non corpus, sed reliquia tantum *notabilis,* etsi non *insignis,* habeatur, continuari potest et debet. Ratio est, quia etiamsi reliquia non sit insignis, nihilominus Festum a populo celebratur ab antiquo tempore. Audi cl. Guyetum *(l. 1., c. 9., q. 7)* pro casu simili, quando nempe reliquia incendio aut furto absumatur: " Si post eiusmodi casum, minime destitutum fuit ab officio quod fiebat alias, neque etiam ab eo deinceps videri destituendum, cum et valeat ipsa saltem consuetudo nondum usu abrogata, ne par „ ecce pia et validissima ratio " ne par sit credere Sanctos idcirco desistere a patrocinio quod susceperant. „ Invectio enim, nos addimus, reliquiae alicuius Sancti *occasionem* porrigit ut populus devotionem et Festum incipiat erga illum: qua devotione, cum populi frequentia, extante, certo certius ratio non corruit ut Festum celebretur, licet reliquia insignis non sit. Adde quod hodie S. R. C. declaravit insignem reliquiam esse antibrachium, manus, cor, etc. (S. R. C. 27 Iunii 1899).

IV. *Pro dioecesi Aesina.* Ubi celebratur Festum Corporis Christi cum octava privilegiata ad instar Epiphaniae, ipso Festo adveniente cessant octavae inceptae. Attamen si infra octavam ipsam occurrat Patronus, vel Titulus, vel

Dedicatio Ecclesiae, eo die agitur huiusmodi Festum particulare, et tunc incipit eius quoque octava, de qua diebus sequentibus fit commemoratio in officio octavae Corporis Christi. Quod item fit in locis ubi Festum duplex I classis incidat infra octavam Epiphaniae (S. R. C. Decr. n. 2360).

V. *Pro dioecesi Petrocoricen.* Aliud est officium *ad libitum*, aliud officium *facultativum*. Primum remanet semper in sua natura *ad libitum*, scilicet quisque, prout lubet, illud recitat in die sua, dummodo non occurrat in Dominica vel infra aliquam octavam, vel non recitat. *Facultativum* vero illud est quod a S. Sede conceditur, si clerus et Episcopus velint; at cum sit acceptatum, non amplius est *facultativum*, sed *praeceptivum* evadit. Hoc sensu intelligèndum est S. R. C. Decretum N. 4042 ad 4.

Quibus positis, quum officium B. Caroli Magni (quod ab Ecclesia toleratur, sed non praescribitur, iuxta illud quod scribit Guyetus, *l. 1, c. 5, p. 9*) in ista dioecesi *ad libitum* sit, licet sub ritu duplici minori, in Calendario inscribi debet iuxta suam naturam, nempe *ad libitum*, ac proinde sua die 28 Ianuarii prius indicandum officium simplex S. Agnetis secundo, et postea officium B. Caroli pro eis qui illud recitare malunt. Die autem 28 Ianuarii nequit agi in casu de duplici maiori translato, nisi quando in toto anno non superesset alia dies pro omnibus translatis illo anno celebrandis. Ratio est quia alias numquam fere dici posset officium *ad libitum* quod celebrari tantum licet in die sua, neque transferri unquam potest, sicut decretum est pro officio *ad libitum* S. Canuti Martyris.

VI. *Pro Collegeville.* Cappella Monialium, quae vota emittunt simplicia vel solemnia (hoc parum interest in casu), et recitant officium parvum B. M. V., licet sit oratorium semi-publicum ad formam S. R. C. decret. 22 Maii 1896,

n. 3910, et 23 Ianuarii 1899, n. 4007, nihilominus quando aliquis Sacerdos Regularis unicam ibi *quotidie* celebrat Missam, credimus eum bene posse Missam quotidie legere iuxta proprium calendarium. Ratio est, quia fictione iuris, ipse est verus rector illius cappellae, ideoque in ea celebrat quasi dominus in sua ecclesia, suum ergo calendarium fit calendarium illius cappellae. Exulat autem quodcumque dubium, quando Moniales, ut in quaesito, sunt eiusdem ordinis ac Cappellanus. Hanc sententiam probabilissimam putamus, quia aliter Cappellanus Regularis in casu iugiter Missam suo officio non concordantem legere teneretur, quod inconveniens, noluit rigorose admittere S. R. C. nisi in ecclesiis in quibus multae celebrantur Missae.

A. P. P.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE SEPTEMBRI PROPOSITAE

PROPOSITIO.

In Ecclesia B. Mariae V. dicata, quae utpote insigne *Sanctuarium* quotidie ab incolis et accolis invisitur, quamplures eleemosynae pro Missis celebrandis accipiuntur. Cum vero Cappellani eas omnes celebrare nequeant in Sanctuario, Sacerdotibus extraneis tradunt. Quaeritur an diebus a Rubricis permissis hae Missae in paramentis nigris celebrari possint?

SOLUTIO.

Ut clarius solutio huius quaestionis exhibeatur, oportet ante omnia, breviter exponere quando liceat Missam celebrare officio non conformem.

Missa votiva, definitur: *ea quae extra ordinem officii diei celebratur; et a Rubricis non praescribitur.* Iuxta vero Missalis Rubricam diebus semiduplicibus, non privilegiatis, licet Missam votivam celebrare, sive pro vivis sive pro defunctis. *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa; et quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat:* Ita Rubrica *(Tit. IV, n. 3* in fine). Eius autem sensus eodem modo exponitur a doctoribus cum S. Alfonso *(Lib. 6 n. 419).* " Nota το: *rationabili de causa,* unde ait Merati *(P. 1, tit. 4, r. 3, n. 12),* non sufficere pro causa ad passim Missam votivas celebrandas, ut sacerdos cito se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio petitio facta a dante eleemosynam alicuius Missae votivae, erit iusta causa eam celebrandi. „

Quapropter, ego nequeo Missam votivam celebrare nisi intentionem explicitam vel implicitam cognoscam eleemosynae offerentis, quam ego ignorans Missam tuto et optime applicare possum de die illam celebrans. Cum vero Missae quae celebrantur pro legatis adimplendis, *de requie* ut plurimum esse debeant; itemque Missarum eleemosynae quae obiter offeruntur pro maxima earum parte pro defunctis sint oblatae, usuvenit ut in ecclesiarum sacrariis, quando ritus id permittat, exponuntur planetae coloris nigri.

Nunc vero, quaerendum est, utrum inveniens tu in sacrario solas planetas nigras, et habens Missam pro infirmo, possisne Missam de requie celebrare?

Procul dubio *negative* respondendum est, propter duo: 1°. quia Rubrica, quae dicit *Missa quoad fieri potest cum officio conveniat,* tibi prohibet ne Missam aliam celebres quam

illam de die, nisi *rationabilem causam* habeas ut votivas legas. Atqui ratio applicandi pro defuncto tibi deest in casu; ergo de requie celebrare non potes. 2°. Quia si Missam aliam, quam de die, legere velis in casu, Missam votivam pro infirmo in promptu habes, pro quo eleemosynam accepisti, et non pro defuncto.

Ratio ergo quia in sacristia solummodo habentur planetae nigri coloris nihil valet et tibi exquirenda erit planeta vel pro Missa de die, vel pro Missa votiva. *Negative* ergo respondendum est, non solum iuxta Rubricarum expositores, qui ut plurimum ab imperitis parvi fiunt, sed iuxta quoque theologos moralistas.

Audiatur pro omnibus cl. Gury *(N. 377 q. 16)*: " An obligatus ex stipendio legere Missam... votivam, satisfacit si aliam Missam dicat? Respondeo *affirmative*. Ratio est, quia Missa eadem est quoad substantiam, et si adsit iusta ratio, nullum erit peccatum. Hinc si Rubricae non permittant ea die Missam votivam facere, debet legi Missa diei, et sic vere satisfit obligationi. Qui autem „ (bene attendant lectores) " qui autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest, nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur. „

Scimus quidem nonnullos sufficientem credere causam in casu, quando sacerdos non alias planetas vidit in sacristia expositas, nisi coloris nigri: nos tamen arbitramur formidinem afferendi molestiam aedituo nullo pacto rationem sufficientem constituere ut Rubrica inobservata maneat.

Eoque magis, quia sacerdotes extranei probe norunt, quod in unaquaque sacristia paramenta coloris diei, licet sit semiduplex, exponi debent, non ex convenientia tantum aut ex quadam urbanitate, sed ex praecepto Rubricae implicito, et explicito S. R. C. Decreto 27 Februarii 1817 (n. 5075) antiquae collectionis, quod pro casu nostro adhuc vim habet. Iuxta illud enim ius habet *celebrans ad expetendum colo-*

rem officio proprio respondentem, cum ibi semiduplicia occurrunt (1).

Quibus positis, videndum est, an Missae, quae, ut dicitur in quaesitu nostro, a confluentibus incolis et accolis ad insigne Sanctuarium Beatae Mariae Virginis ibi offeruntur, possint nec ne celebrari in paramentis nigris; quia, ut plurimum, offerentes propriam intentionem explicite non exprimunt; sed cum ad Virginis Deiparae, quae gratiarum Mater est, Sanctuarium accurrunt, certe gratias pro se vel pro aliis viventibus impetrare intendunt.

Hinc Sacerdos qui a rectore illius Sanctuarii accipit stipendia pro Missis superfluis celebrandis, implicite cognoscit intentionem offerentium, nempe ut Missae dicantur ad honorem B. M. V., ut suam quisque gratiam imploratam accipiat. Quomodo ergo poterunt hae Missae, in paramentis nigris celebrari? Itaque, ritu permittente, celebrabuntur tot Missae votivae de Beata, quot sunt eleemosynae receptae, imo, si facile sit, ad aliquod altare Deiparae dicatum.

Neque valet obiicere offerentes nescire utrum hae votivae Missae speciales existant, quae tales preces contineant, ideoque eorum intentionem non posse ad illas extendi; quia *Sacerdos,* propter suum ministerium *(Sacra dans)* et propter eleemosynam quam accipit, maius bonum procurare tenetur offerenti, sicut tutor pupillo suo, illi meliori qua par est

(1) Hoc comprobatur ex quodam responso die 29 Novembris 1856 dato a S. R. C. Praefecto, uti habetur in solutione, quam misit et ipse clarissimus coadiutor noster A. Fourneret ad hanc quaestionem. Hoc responsum, quod relatum dicit in Ephemeride *L'Ami du Clergé,* anno 1884, pag. 461, sic se habet: " E.mi et R.mi Patres sacris ritibus tuendis praepositi, singulis mature perpensis, tolerandum minime esse censuerunt abusum de quo in precibus, in Festis nimirum semiduplicibus paramenta tantum nigra offerendi sacerdotibus celebraturis, eademque hac ratione impediendi quominus legere pro lubito possint Missas vel Festo respondentes, vel votivas, iuxta permissionem Rubricae. „

ratione iuvando, ac si ipse offerens nosset existentiam votivarum Missarum cum specialibus precibus illis adnexis.

Haec conclusio congruit cum Decreto dato a S. R. C. die 13 Iulii 1899, n. 4031 ad 4: Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro defunctis, aut votivam in honorem alicuius Mysterii, B. Mariae V. vel Sancti, satisfacit obligationi suae Missam celebrando conformem officio, quando votivae vetantur, sed consultius est, quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam scilicet de Requie, vel votivam. Subintellige, si res non urgeat omnino, expectando diem liberam has Missas admittentem.

Ad quaesitum ergo nostrum respondendum est omnimode *negative*, et qui aliter se gerunt, provideant exinde conscientiae suae.

A. P. P.

DECLARATIONES

I.

In solutione quaestionis edita mense Augusto nuper elapso, pag. 543, non diximus quod *omnes Caeremoniarum Magistri almae Urbis* admittant sententiam nostram circa reverentiam Choro faciendam, etiam praesente Episcopo Ordinario. Hoc tantum diximus, ut clare legentibus patet, quod ipsi *confitentur Caeremoniale Episcoporum ponere suo loco leges generales alicuius actionis sacrae, et postea in locis particularibus non semper legem ipsam repetere.*

Hinc in Cathedralibus, in quibus viget consuetudo salutandi chorum, praesente Episcopo, tantummodo ab iis qui

superveniunt inchoato iam officio, uti legitur in Caeremoniali (*l. 1, c. 18, n. 4*), et non aliter, consuetudo ipsa damnari nequit, quia per hoc in praxim redigitur *ad litteram* Caeremoniale et doctrina De-Herdt.

In locis vero ubi semper Chorus salutatur, etiam praesente Episcopo, haec praxis continuari potest, et iuxta nostram sententiam debet, usque dum aliter Supremus Tribunal non decernat.

II.

In IV ex *Brevioribus Responsis* elapsi mensis Octobris gravis occurrit error typographicus, qui sensum solutionis omnino corrumpit.

Duobus in locis legitur *debet* pro DECET. Lectores nostri id procul dubio iam perceperant. En ergo genuinus noster sentiendi modus in casu: Sacerdos habens officium classicum, puta sui Patroni, vel Titularis, et celebrans in ecclesia aliena, ubi fit de semiduplici, potest legere Missam suam, nemine contradicente, *ergo si potest,* DECET *quoque.*

D. P. P.

IMPRIMATUR
P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
IOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myren., Vicesgerens

PROPRIETAS LITERARIA.

Romae, 1902. - Typ. Bodoniana, Hosp. vulgo "Tata Giovanni,
Piazza del Biscione, 95.